

05

A

1528



83

Q. D. B. V.

Ex

ETHICIS,

DISPUTATIONEM PUBLICAM

De

Virtute Heroica,

In Electorali ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

M. BALTHASARIS STOLBERGI,

Mittvveydensis

Placidæ Eruditorum Disquisitioni


U ssttit

AUGUSTUS AGUSTINUS MEVIUS,

Wittebergensis

Ad diem 20. Novemb. Horis antemerid.

In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.

83

G. M. Balwin





05 A / 1528



Vemadmodum inter metalla omni-
um nobilissimum aurum est, & magnorum sapē
laborum præmium: ita quoque Virtutes cætera,
quæ in homine sunt, bona longè superant, & in
eis potissimæ laudes consistunt. Etenim animus
virtute informatus, quasi in clarissimò quodam ac sublimi loco po-
situs, cæcas infra se hominum mentes videt variis erroribus impli-
citas, & proceris bonis inanes saltim umbras persequentes; ipse
verò in tranquillissimò portu constitutus, nullas amplius turbu-
lentas pertimescit tempestates. Mitigat iram mansuetudo; li-
bidinem continentia frenat; avaritiam liberalitas minuit; tem-
perat dolorem patientia; fortitudo timiditatem exstimulat, o-
mnesque perturbationes ac commotiones *Aurea Mediocritas* vir-
tutum habenis manu prudentiæ moderatur. Hinc fit ut homo
ultra communem sortem eleuetur, & DEO quodammodo similis
reddatur. Quod cum omni virtuti tribui soleat, maximè verò
convenire videtur Heroicæ, quæ ut cæteris humanis eminentior
est, ita ad sublimiora evehit, & animum divinum efficit, eoq; splen-
dore decorat, ut nihil admirabilius, nihil præstantius aut specio-
sius esse possit. Cujus nos virtutis summâ dignitate adducti, ejus
naturam accuratius investigare, & usum atque splendorem confi-
derare decrevimus. Deum autem, ut feliciter omnia expetant,
seriò rogamus.

SECTIO I. THETICA.

§. 1. Ad derivationem nominis Virtutis Heroicæ quod at-
tinet, paucis de eâ in antecessum monebimus, cum quandoque re-
rum intelligentia, testante Platone, pendeat ab intelligentia verbo-
rum: imitati hæc in parte Stoicos, qui studiosè exquirebant, unde
verba ducta essent, ceu habet *Cic. l. 1. offic.*

2. Dicitur illa ab Heroibus ἀπὸ τῆς ἥρωος ratione subjecti, si-
quidem in solos *Heroes* cadat, quos Veteres non pro nudis homi-
nibus, sed pro θείοις ἀνδράσι, sive uti alii loquuntur, ἡμιθεοῖς habe-
bant, & ab unâ parte DEOS, ab altera homines esse credebant. ἥρωας

δε (ἰσχυρῶς *Eustath.* ad *Ἰλιάδ.* α. ν. 4.) ἡ παλαιὰ σοφία γένος ἡθεῖον
 εἶναι δοξάζει, μέσεν θεῶν καὶ ἀνθρώπων. διὸ καὶ *Hesiodos* ἡμιθέες αὐτὰς
 λέγει, ἢ ἐκ θεῶν ἕντας καὶ θνητῶν ἀνδρῶν, ἢ ἀνὰ παλιν *Conferr* hanc
 in rem potest *Hesiod.* ipse ἐν ἔργ. καὶ ἡμέρ. ν. 156., & *Scholias*tes ejus;
 ubi *Heroas* ad quartum hominum genus refert *Poeta.* *Pindar.*
 πύθ. δ. αὐτ. *Jasonis* nautas ἡμιθέες παῖδας ὑπερβύμων το Φωτῶν, καὶ
 θεῶν appellat, cujusmodi omnes *Jasonis Argonautarum Ducis* so-
 cii fuere. Talis erat & *Hercules* ex *Jove* & *Alcumena*: *Aeneas* ex
Anchisa Trojano & *Venere* natus. Unde *Cicero Heroica tempora*
 vocat, quibus *Hercules*, *Orpheus*, alii ex *Diis*, ut credebantur, ge-
 niti floruerunt. Erant μέσων θεῶν καὶ ἀνθρώπων γένος, qui & δαίμο-
 νες nominabantur: quoniam ob causam *Pindar.* ὀλυμπ. β. Ἡρώα ponit
 inter *Deum* & *Virum*:

Τίνα θεόν, ἢν Ἡρώα

ἢν δ' Ἄνδρα κελαθήσμεν;

Hunc pariter imitatus *Horatius* lib. 1. od. 12. canit:

Quem *Virum*, aut *Heroa* *lyra* vel *acri*

Tibia sumes celebrare, *Clio*?

Quem *DĒum*? Ubi inverso ordine ponit

Virum, *Heroa*, *DĒum*; contra quam *Pindarus* θεόν, Ἡρώα, Ἄνδρα.

3. Ita verò de *Heroibus* fabulantur *Poetae*: circa quorum ety-
 mologiam multa & variaz *Autorum* occurrunt sententiaz, quos in
 compendio recenset *Eustath.* l. c. οἰμὲν, inquit, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς βέ-
 λονται καλεῖσθαι Ἡρώας, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς ἐρατῆς τροπῆς τὰ εἰς η. ὠδὴ-
 γυσι ἔς Ἡρώας. Ἄλλοι δ' ἀπὸ τῆς ἐρατῆς ἔς Ἡρώας εἶπον καλεῖσθαι. οἱ δὲ
 ἀπὸ τῆς ἀερός, φησὶ δὲ καὶ *Hesiodos*, ἡέρα ἐσσάμεισι πάντη *Θοιτῶτες* ἐπ'
 αἶαν. Ab aere *Heroas* deducebant, quod ipsos pro animabus se-
 paratis, ut *Thales*, habebant, & in aere habitare credebant, ita ut
Pythagoras totum aërem *Heroum* plenum esse existimarit ap. *Laert.*
l. VII. vid. *Plutarch.* de plac. *Philos.* l. 1. c. 8. Alias rationes brevitatis
 studio omittimus. Sunt præterea qui ἀπὸ τῆς αἰρεῖσθαι derivant,
 quod præ aliis selecti & præstantes fuerint: alii demum ἀπὸ τῆς εἰρεῖν
 seu dicendo originem ducere volunt, vel quod ipsi eloquentes fue-
 rint, vel quod eorum virtus omnium ore celebraretur. *Conf.* *Isen-*
dorn. l. 2. *Eth.* c. 19. *Spengl.* exerc. *Eth.* 12. art. 1. *Piccolom.* *Phil. mor.*

grads

grad. 6. c. 1. *Christ. Matth. Syst. Eth. l. 3. exerc. 10. th. 3.* Plerisque inter enumeratas Herois notationes accidet illa, quæ ἀπὸ τῆ ἐρωῆς sumitur, siquidem primi hujus vocis inventores ad amorem & desiderium flagrantissimum honesti & divinæ conditionis, quò Heroes super humanam sortem evecti sunt, cum primis respexisse videantur. *Piccol. l. c. c. 1. Ke. kerm. Syst. Eth. l. 3. c. 5.* Nos interim, unde- cunque vocabulum derivetur, parum referre putamus cum eod. *Piccol. l. c. quandoquidem de hoc consentiunt omnes, Herois nomen denotare gradum & conditionem supr a hominem collocatam.*

4. Observandum autem Heroicæ virtutis genus inter Gen- tiles potissimum fuisse duplex. Primum vocari potest *Poeticum*, eorum sc. quos Poëtæ ex semisse DEos, ex altero semisse homines fin- gebant, ut multiplici carmine admirationem in auditoribus suis excitarent, eosque ad seqvendam fortitudinem instigarent: vel quod summos quisq; in suæ gentis principes Viros conferre hono- res certarent. Plenius rem exponit *Eustath. laudato loco* his verbis: ἀγὼν τοῖς παλαιοῖς ἠντιπλὺς ὡς εἰκός, ἀπὸ σεμνύειν ἔς ἀρχοντας ἐκα- στῶν τῶν ἐξ ἔθνης, εὐθεόν τι γένος τὸ βασιλικὸν ὑπολαβόντες. θεὸς αὐτοῖς πατρὸς ἐπέσησα. καὶ τῶν οἷς μὲν τὸ εὐγενὲς καὶ βασιλικὸν ἀκρως ἐπέτρεπεν, ἐπὶ δὲ ἔτις ἐποίησεν κατὰ γένος &c. *Quorum nobi- lis & regia indoles erat, illorum genus à Jove derivabatur: qui elo- quentiâ insignes erant, Mercurius horum narrabatur parens; quod si quis vaticinandi aut medendi polleret arte, Apollinis filius nuncupa- batur; quos verò pralia & bella exercebant, Marti genitori subjicie- bantur &c.*

5. Quæ Poëtarum fabulæ non levia quædam & frugis exper- ta otiosorum hominum commenta sunt; imò sub eis, velut in volucris atque integumentis omnis doctrina elegans, omnis deniq; Sapiencia continetur. Proinde quid veri sub his fabularum in- volucris claudatur, explicandum & evolvendum est. *Conf. Pic- col. grad. 6. c. 2.*

6. Alterum genus appellamus *Aristotelicum & Philosophicū*, iis competens, qui revera per excellentiam virtutum id apud omnes homines acqvirebant ut honoribus non modò suis, sed etiam pla- nè divinis interdum ornarentur. Illi scil. qui insigni prudentia, admirabili alacritate & constantia, difficiles & arduas sine defati-

gatione, ancipites & periculosas singulari felicitate res gesferunt; ut ideo propius ad DEi perfectionem adscendere, quam ad humanam imbecillitatem se demittere viderentur. vid. Arist. l. 7. Eth. c. 1. Est enim *verustissima ratio* juxta Plin. l. xi. Hist. Nat. c. 7. *referendi gratiam, ut beneficiorum magnitudine prestantes viri Numinibus adscribantur*. Cujusmodi Heroes in duplici possunt esse differentiâ. *Propriè hunc titulum sibi vendicant, qui virtutum moralium gemmulis, præsertim difficultum coruscant, & quidem illarum, quæ hominis vires excedere, divinamq; facultatem exposcere videntur.* Minus propriè huc referuntur artifices præclari, qui aliquâ arte præprimis excellerunt, & in signe aliquod beneficium in genus humanum contulerunt. B. Jac. Martin Cent. V. qv. illust. disp. 6. qv. 6. Cujus generis sunt artium inventores Plato, Aristoteles, Euclides alii. Conf. Dn. D. Wendler. Phil. pract. l. 1. sect. 1. c. 12. Piccol. l. c. cap. 4.

7. His tertio loco annumerantur alii, qui splendore virtutum Theologicarum à Spiritu S. accensarum communem hominis conditionem superarunt. In quorum numero censentur ii, qui in Dei dilectione ac fiducia &c. firmiter perseverarunt; ut & martyres, qui pro cœlestis doctrinæ veritate usque ad sanguinem dimicarunt. Quos verò Heroes nuncupari ecclesiastici sermonis usus non permittit, dicente Augustino lib. 16. de Civ. Dei. Ac nos virtutis hujus finem non consideramus in respectu futuræ, sed præsentis vitæ: neq; ut est *habitus infusus*, sed ut est *acquisitus* humanis viribus, specialiter tamen concurrente auxilio d. vinô. Conf. Piccol. l. alleg. c. 3. Liebenthal. Colleg. Eth. disp. 14. th. 3. 4. & qv. 6. Stahl. l. 1. Eth. sect. 3. c. 4. Excell. Dn. D. Wendler l. c.

8. Deinde virtus Heroica dupliciter (notante Matthiâ Syst. Eth. l. 3. exerc. 10. th. 4.) accipitur. 1. *γενικώς* pro qualibet virtute eminente aliasque eccellente, ut magnificentia & magnanimitas. 2. *ειδικώς*, pro solâ virtute divinitus homini concessa; de quâ agimus. Septimius quoq; serenus in metro rusticum ac pauperculum Heroa appellat, ut observavit Barth. l. 3. advers. c. 20. Summoperè autem cavendum, ne vice virtutis Heroicæ vitium commendemus, ac præ fulgore Heroico vitium populari voce formosum amplectamur. *Abusivè* tribuitur tyrannis, aliisque qui scelestè egerunt.

9. Ari-

9. Aristoteli dicitur *πρωτότερον τῆς ἀρετῆς*, præstantius quid virtute, & ἡ ὑπερῆμας ἀρετὴ ἠρωικὴ καὶ θεία, virtus quæ supra nos est Heroica & divina. Latini appellant *Affectionem divinam*, non quod Dei sit, qui omnem habet perfectionem modò eminenti; sed vel *ratione Cause principalis*, dum singulariter quibusdam à DEO conceditur, vel *ratione similitudinis*, quod ii, qui eà præditi sunt magis ad Dei similitudinem adscendere (inde *διοὶ* vel *θεῖοι ἄνδρες* dicti) quam ad infirmitatem humanam sese demittere videantur. Divinū enim Græci juxta & Latini vocant omne excellens & communem hominum conditionem in aliquâ re excedens. *διός, ὁ ἐστὶν ἔνδοξος ἐπὶ ἀνθρώπων ὑπερεχόντων λέγεται καὶ ὁμοιότητα τῷ διός, ἐξ ἧς διῶ, καὶ κρᾶσι διῶ.* Eustath. ad *ιλιὰδ.* a v 7. Ita Achilles apud Hom. dicitur *διῶ* ob fortitudinem excellentem: Ulysses ob singularem prudentiam, Alexander & Clytemnestra ob pulchritudinem, *Γάλασσα καὶ χάρυβδις Διὸς μέγιστος*.

10. Præmissis quæ ad nominis intellectum facere poterant, ad ipsam definitionem accingimur. *Virtus Heroica est habitus animi divinitus quibusdam concessus ad ejus modi actiones perficiendas, quæ alioquin humanis viribus præstari nequeunt.*

11. Genus quod concernit, dicimus eam esse *habitum*, & distinguimus à motu heroicò & ardore divinò, qui actio est divinitus & præter ordinem excitata, nec præstari semper potest. *Guik. diss. Eth. xiii. th. 22.* Virtutem Heroicam in animo esse omnes facile concedunt, siquidem Heroes non ita à DEO inflentur, ut more obsessorum, qui à Diabolo instigati, quid agant, ignorent, sed scientes & volentes operantur. Omne autem quod est in animò, aut est affectus, aut potentia naturalis, aut habitus. Affectus sunt absq; *προαίρεσις*, propter quos nec mali dicimur, nec boni, nec laudamur nec vituperamur. Secus se habet virtus Heroica, quæ neque ut potentia naturalis nobiscum nascitur, verum ut alii habitus bonam naturam ac generosam indolem, laborem & sedulam institutionem, tum deniq; indefessam requirit exercitationem.

12. *Differentiam* absolvunt reliqua. Ubi primò occurrit *Causa efficiens*, quando dicitur *habitus divinitus concessus*, non ita ut verbis illis omnis protinus disciplina atq; assuefactio tollatur, quomodo Virtus Moralis esse haud posset; sed ut innuatur tum verè

Virtu-

virtutem Heroicam existere, si ad disciplinam Virtutis moralis accedat afflatus divinus, qui illam augeat & adjuvet. Virtus Heroica sine indole generosa, sine pulvere, sudore & labore cum institutionis, tum exercitationis nemini contingit. At illa sola non sufficiunt, siquidem in aliis reperiri possunt, qui nentiquam Heroes dicendi sunt. *vidi Spengl. l.c.*

13. *Prima ergo ac principalis causa peculiaris Dei afflatus est, quò Heroes incitati, maxima sibi proponunt. Idem fabulis suis Veteres indicare voluerunt quando eos, qui per excellentiam virtutis & eximias actiones reliquum genus humanum superarunt, à Diis ortum duxisse fingebant. Et Cic. l. 2. de nat. Deor. Nemo, ait. vir magnus sine afflatu divinò unquam extitit. Nisi enim Deus specialem largiatur influxum atq; instinctum, omnis Heroum conatus frustranei erunt. Unde quò in frequentior ille est, eò rariores quoq; apud mortales Heroes inveniuntur, ut quadret huc illud Juven.*

Rara avis in terris nigroq; simillima cycno.

Accedit & ductus Dei peculiaris, quò tales nanciscuntur opportunitates & successus, quales aliis forte non obveniunt.

14. *Minus principalis & secunda Causa considerari potest 1. ut est Remota, ubi requiritur singularis corporis dispositio atque excellentius temperamentum, à quò posthac peculiaris naturæ impetus descendit & resultat. Habemus quippe naturaliter inclinationem, aptitudinem, potentiam & facultatem ad virtutem suscipiendam: susceptivum verò ejus est potentia animæ appetitivæ, quæ potentia nobis à naturà inest, unde & virtus inchoativè nobis inest, quoad primordia & quasi rudimenta, non quoad substantiam. Et sane non parum refert, quibus parentibus, quò ingenio, quâ indole ad virtutem quisque nascatur.*

15. *Propinqua consistit in ardenti felicitatis amore & desiderio præclaras res agendi: tum maximè etiam in diligenti educatione & informatione. Quantum momentum ac pondus in orientis ætatis informatione situm sit quæ vitæ rectè traducendæ fundamentum est, omnes omni tempore, viri sapientes suis demonstrarunt scriptis. Hæc nobis proponit, quanta bonorum seges ex virtutibus proveniat, & quanta vicissim malorum in nos copia ex vitiis redundet: hæc ipsa doctrina intento quasi digito monstrat, quantum opere per virtutes ad summam nostri perfectionem accedamus, quamq; longè per vitia ab eadem relabamur.*

16.

16. Accedit demum excellentium operationum frequens iteratio, quæ præcipua & proxima Causa est. Natura inchoat & disponit, doctrina dirigit, assuefactio perficit & absolvit virtutem. A naturâ perfectas virtutes non accipimus, neque à doctrina, quod testatur experientia, unde superest per assiduitatem & operationum rectæ rationi conformium frequentationem, ut omnes, ita & hanc gigni virtutem.

17. *Finis* Virtutis Heroicæ proximus & summus est Ecclesiæ ac Republicæ defensio. Cum enim Ecclesiæ ac Republicæ instar Luna jam crescant & decrescant, opus est ut excitentur Heroes, qui collapsas restaurent. Alter & remotior est hominis cum DEO assimilatio, quod cum omni virtuti tribui soleat, maxime tamen Heroicæ virtuti competit, utpote cæteris eminentiori. Piccol. l. c. c. 15.

18. Observandum DEUM tripliciter posse, considerari 1. in se ut est optimus, & simplicissimus ac purissimus actus, cui homo assimilatur, in quantum per virtutes morales & Heroicam præsertim bonus redditur, à terrenâ forde depuratur, simplex evadit, & neglecto corpore, solam vitam mentis vivit. 2. In ratione ad creaturas, prout earum est conditor; quomodo Deum æmulatur homo, quæ ad imitationem naturæ omnia efficit, domos ædificat, urbes condit, format rempubl. & servat justitiam. Nil Deo similis, quam justissimus homo, tribuit Plato in Theæreto. 3. DEUS spectatur, prout res à se conditas dirigit & perficit. Hac ratione homo quoque DEO similis quodammodo evadit, quando ad illius imitationem leges condit, homines regit, & cæteris creaturis præest. Unde rursus Plato l. 6. de Republ. Hominem reddi Deo similem, ait, quia divina imitatur. Confer: Piccol. l. alleg.

19. Materia communiter triplex à Philosophis statuitur, nempe ex Qua, in Quâ, & circa Quam. Illa est materia propriissimè sic dicta, ex qua aliquid constituitur, & virtutibus utpote accidentibus, habitibus nimirum deneganda est. In quâ, quæ & subiectum dicitur, est Appetitus sensitivus. Nam cum Virtus hæc non specie, sed gradu à reliquis virtutibus diversa sit, utique diversum ab illis subiectum habere nequit. Objectum seu materia circa quam duplex est; Generalis, eadem illa quæ sunt objecta reliquarum virtutum: Specialis verò sunt extraordinaria egregia facta.

20. Constituunt igitur objectum Heroicæ virtutis actiones omnium earum rerum, circa quas virtutes ordinariæ versantur; sed quatenus in iis excellentia quædam & eminentia deprehenditur: in quò formalis ratio consistit. Etenim non nudum & quæcumque magnorum facinorum molimentum Heroicæ mentis signum est: quia sublimia audere etiam in temerarios & audaces cadit: sed attributum & indicium Heroum proprium illud iudicatur, quod in rem magnam & arduam, quæ alias nullius communis virtutis beneficio effici potest, felici successu & singulari animi constantia dirigitur.

29. Excellens objectum redditur, dum actiones virtutis hujus ad bonum non privatum, sed magis commune & publicum referuntur. Circa quod attendendæ maximè sunt *proprietates & requisita hujus virtutis*. Ubi primò locò occurrit & necessarius est *Imperus ac Raptus divinus* ad præclara facinora. In hac virtute & Deus & natura concurrunt: Deus est causa principalis, quæ secundas includit, non excludit. Et quidem magis hîc concurrunt Deus, quàm ad cæterarum virtutum actiones, ob hujus majores & difficiliore actus, alioquin solis hominis viribus non præstandas.

22. Secundò requiritur *aggressio* summarum rerum, humanasq; vires excedentium *cum summa alacritate & executionis constantiâ* conjuncta; ne vel affectibus se patiatur impediri, vel voluptatum illecebris avocari, aut molestiis aliisvè difficultatibus in proposito revocari.

23. Tertio & *fortuna Heroi multum auxilii præstat, & subministrat*. Herois est ea vincere & superare, quibus passim humana conditio succumbit, proinde ipse successu opus habet & felicitate. Inde autem concludi non debet, ac si Virtus in prosperis tantum spectetur & occupetur, ne utiqvam in adversis, cum illi potissimum, qui Heroes celebrantur, tales fuerint, quibus omnia ex votò fluebant, & ad nutum atq; arbitrium succedebant.

24. Equidem diffitendum non est, res secundas magnum afferre momentum ad splendorè Heroicum ostendendum: nihilominus etiam dicendum est Heroicam virtutem sæpè magis in adversis rebus, quàm in secundis elucere. Nam omnis virtus circa ardua & difficilia magis occupatur: & fortitudo maximè splendet
in

in gravissimis periculis & difficultatibus. Quin etiam ipsi artifices peritiam suam præcipuè ostendunt, quando circa molesta & adversa occupantur objecta. Unde liquet faciliè pari vel etiam majori ratione hanc virtutis excellentiam non in prosperis tantum sed etiam in adversis vires suas exerere & illustriorem apparere. Ita vel in illo casu felicitas & successus Herois potest spectari, quando in illustri edendo specimine, ingruentia gravissima mala, constantissimò fert animo.

25. Ex quibus hætenus propositis manifestum esse potest, virtutem Heroicam nihil aliud esse, quàm *splendorem & summum omnium aliarum virtutum moralium gradum*: unde etiam tot species Heroicæ Virtutis statuendæ erunt, quot virtutum communium, quia omnium illarum potest esse aliqua eminentia. Illæ autem potissimum Heroicæ nomen merentur, quarum, utpote *justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis &c.* major difficultas, splendor, dignitas & necessitas est. *Vid. B. J. Mart. Cent. v. illust. qv. disp. 6. Piccol. grad. 6. c. 4.*

26. Hinc quoq; colligitur Virtutem Heroicam à reliquis differre saltim *gradu, non specie*, quia definitione, fine & objectis cum reliquis convenit. Participat enim Heroica de definitione Virtutis moralis tam generali, quam speciali. Est habitus electivus &c. Ita datur *fortitudo Heroica*, quæ servat mediocritatem circa formidinem & confidentiam: *Heroica temperantia*, quæ mediocritatem servat circa voluptates & dolores, &c. Conveniunt etiam objectis & fine. Finis est moralis felicitas ad quam omnes tendunt. Occupatur circa moderandos affectus, quos ita temperat, ne vel sint nimii, vel planè nulli: circa dirigendas actiones, quas ita moderatur, ut inter utrumque medium servetur. Differt autem Heroica à cæteris *perfectionis gradu*, sicut à tepore fervor, cum nihil aliud sit, quàm virtus moralis, adjunctam sibi habens excellentiam atq; eminentiam extraordinariam. *Conf. Dn. D. Wendler Phil. pract. l. 1. f. 1. c. 12. qv. 3. Isendorn. l. 2. c. 19. qv. 2.* Heroum exempla tam in sacris quàm prophanis Historiis leguntur plurima

31. Cum viderimus hætenus *Virtutem*, restat nunc, ut ejus quoq; perpendamus *opposita sive extrema* quò clarior illius fiat præstantia & fructus ac gloria reddatur illustrior. Opposita enim se

mutuò illustrent & patefaciunt. Duo autem sunt: Unum in Defectu, Summa scilicet ignavia & ineptitudo ad omnem virtutis impetum, quod vitium rarum esse dicitur. Nemo facile tam stupidus atque hebetis ingenii reperitur, qui porcorum aut asinorum instar ne semel quidem cœlum dignetur aspicere, & originem suam in mentem sibi revocare. Inter omnes autem hoc vitio infames fuisse memorantur Sybarites, dum hanc pudendam ignaviae legem sanciebant: *Nemo nostrum frugi esto*, ut est apud Suidam.

28. Alterum vitium, quod in excessu Heroicæ virtuti opponitur, est Feritas, quæ, ab Aristotele l. 7. Eth. c. 1. ἀγροῦτος καὶ ἰμεῖος dicitur ἀπὸ τοῦ ἰμεῖον ab animantibus brutis; non quod ea belluarum aut ferarum sit, in quas neque virtus neque vitia cadunt, cum ratione & electione destitutæ solò ferantur appetitu: sed ob assimilationem, quâ homines feros bestiis nocentissimis similes reddunt.

29. Hujus vitii natura ex virtutis, cui opponitur, definitione manifesta evadit. Uti enim illa ceu fulgor moralium Virtutum hominem supra humanam conditionem elevat: ita vicissim Bestialitas seu ἰμεῖος humanum appetitum pervertit, infra homines nos dejicit, & reliqua vitia multis parasangis foeditate suâ post se relinquit. Piccol. c. 13. Definitur; quod sit eminentia vitii, quâ homo excussâ ratione vel maxime depravatâ, in ferinam quasi conditionem mutatur, & gravissima scelera patrat, Isendorn. 2. Eth. c. 19.

30. Feritas illa non est unius generis, sed alia est ἀπὸ ἀπίου & scilicet absque ratione; & vel nihil prorsus habet rationis; vel etiam parum. Exemplo esse potest Medea, quæ proprios liberos in conspectu patris occidit: & Cleomenes Spartanorum Rex, qui ex perpetuatione diuturna cum Scythis habitum ebrietatis contraxit, hacque occasione in amentiam versus, suos sibi artus ferro detruncavit, ceu refert Herod. l. 6. Oritur ista feritas vel ex morbo ac depravatis humoribus, qualis in phreneticis ac furiosis, aut etiam in mulieribus pica seu malaciâ laborantibus. Burgersdic. Idea Pb. mor. c. 23. §. 23. quâ modò hoc modò illud appetunt, adeò ut ne à terrâ quidem aut extinctis carbonibus, vel ipsa etiam humanâ carne ac sanguine abstineant. Vel ab educatione & naturali consuetudine quæ est in iis, qui in montibus & sylvis bestiarum more oberrant, homines feri & barbari ἀγροῦτοι φαῖροι &c.

31. *Α' ἡρωϊσμός* & *Μεσότης* indirectè saltem Virtuti Heroicæ opponitur, & non tam vituperiò, quàm commiseratione digna censetur. *Isendorn l. c.* Altera quæ huc propriè pertinet, & directè virtuti nostræ opponitur, est *πρωϊσμός* & *cum ratione conjuncta*, quàm committunt homines ex eminentia quædam vitiosi habitus. Feritas quæ à morbò, horribilior est; sed quæ est à vitiositate, deterior est: tum quia vitiosus agit cum ratione, tum quia callidior est nocendi: at in iis qui est morbò feri sunt, nec ratio viget, nec calliditas. Feritas ergo quæ à vitiosa consuetudine est, omni vitio est deterior, Causæ sunt Diabolus, pessima natura, consuetudo &c. Talis fuit *Nero*, qui non ex morbo laborans, aut consuetudine gentis Romanæ ductus, sed ex perversò rationis usu, sciens & volens matrem jugulabat, ut dissectò corpore, locum in quò positus fuit infans, contemplaretur; ejus impia manus neq; ab uxoribus abstinuit, aut affinibus, Præceptoribus aliisque; viris illustribus pepercit. *Uid. Sveton. in Nerone.*

32. Quemadmodum autem Heroica virtus in singulis virtutibus moralibus locum habere potest; ita & oppositum ejus Feritas in singulis vitiis moralibus invenitur, adeò ut tot constitui possint feritatis species, quot sunt vitiorum Virtuti morali oppositorum. Hinc alia feritas opposita est fortitudini, alia temperantiæ; alia liberalitati &c.

33. Affectiones tres commemorantur *Prophanitas*, quæ à DEO & rebus divinis avertimur: *Immanitas*, quæ nos omni exuit charitate erga alios homines: & *Tyrannica demum Impietas*, quæ pietatem ergo patriam pervertit. Ideo *Piccolom. grad. 6. c. 13.* hoc vitium *Cerberò custodi tartareo*, qui tria guttura pandit, & triceps à Poetis fingitur. *Virg. lib. 6. Aeneid.* confert, quod pariter tria quasi capita infestissima, totq; fauces humanæ conditionis voracissimas habeat.

SECTIO. II. AXIOMATICA.

AXIOMA. I.

Magnificentia & Magnanimitas non sunt virtutes Heroicæ.

Quamvis contrarium speciosius videri possit, quia Magnificentia & Magnanimitas splendidissimæ sunt virtutes, & illa quædam liberalitas est cum splendore; hæc verò in magnis honoribus versatur, ac plurimum elevat supra modestiam; nolumus tamen id asserere

ob virtutis Heroicæ requisitorum defectum. Heroica virtus supra hominum conditionem est, & postulat Dei specialem afflatum & ductum. Secus habent Magnificentia & Magnanimitas, quæ, ut ut sint splendidiores virtutes, manent tamen intra conditionem humanam, non oriuntur ex divino instinctu, & existunt in hominibus, qui heroico Spiritu non sunt præditi. Unde *Stabl. Eth. l. 2. sect. 3. c. 4.* duplicem facit splendorem, alium qui manet intra terminos humanarum virium, alium, qui eas excedit. Vid. *¶ Piccol.* Deinde magnitudo planè necessaria est ad constituendam essentiã in illis personis, quibus Magnanimitas, aut magnificentia competit: at magnitudo Heroica abesse potest à qualibet virtute, manente tamen naturã & essentiã virtutis.

AXIOMA II.

Virtus Heroica etiam in fœminas cadit.

Heroicæ virtutis laudem fœminis denegat *Aristoteles l. 1. Polit. cap. 4.* ubi ait, eam nullã ratione esse mulierum, sed virorum saltem virtutem. Verum in quem cadunt vitia, in illum etiam cadere possunt virtutes: At in fœminas vitia cadunt huic virtuti opposita. Deinde fœminæ non minus sunt vasa gratiæ divinæ, atq; viri, ut proinde minimè mirum sit, si quando & fœminæ ad hujus virtutis fastigium enitantur, potissimum quia illa non tam naturã venit, quam extraordinario DEi raptu & imperu divino Heroibus contingit. Exempla quoq; plurima tam facta quam prophana possunt afferri. *Conf. Wendelin. l. c. Christ. Meth. Syst. Eth. l. 3. exerc. 10. qv. 1.* Interim negandum non est virtutem fœminarum Heroicam à virorum quoad quantitatem tum continuam tum discretam non parum differre; Continua quantitate tantum præcellit virorum virtus virtutem mulierum, quantum sexus masculinus superat fœmininum. Discretã verò differt, quia multò rarior est in fœminis, quàm in viris.

AXIOMA III.

Virtus Heroica etiam in spurios cadit.

Probat hoc itidem experientia, dum multi horum ingenio excelso & virtute insigni pollentes res magni ponderis gesserunt non in vitã fortunã, & proinde Heroibus non immerito accensendi sunt, qui natalium labem virtutis excellentia atq; splendore sive

dc-

occultarunt, sive absterferunt. Talis fuit *7ephtab.* Jud. xi. v. 30. qui *ratione matris* δὲ ἐρωτησάντων ἐπιβουλεύων ἐπαχθεῖον ὑπὸ τῆς πατρὸς, ut *Josephus* loquitur l. 5. *antiq. Judaic. c. 9.* externa matre, quam Pater amore captus in ades induxerat, nat9 erat *כזאשה זונה* ὅς γυναικὸς πόρνης, ut *LXX.* reddunt: *ratione qualitaturn animi* חרל ברור δυνατός ἐν ἰσχύϊ ἐν *strettbahrer Held*/ qui laribus expulsus aliquando extorris vitam egerat in terra Tob. deinde variantium sortium urna. (*cum Tertulliano loquar*) non sine occultis divinæ providentiæ fidiculis revocatus princeps & caput Galeaditarum factus est, ut gente Ammonitica tanquam cote ferrum virtutis exacueret. Aliorum exempla *vide apud Zwinger. in Theat. vol. 3 fol. 1059.*

SECTIO III. PROBLEMATICA.

QVÆSTIO. I.

An Virtus Heroica in mediocritate consistat?

Virtus Heroica summa & maxima spirat, supra humanam conditionē & sortem hominem elevat, & omnium reliquarum virtutum extremum dicitur & complementum, ut inde aliquis possit colligere ipsam medio planē carere.

Verum enim verò ut in omni Virtute morali medium habetur, ita & in Heroicâ datur, quæ à cæteris specie non differt. Est illud *medium rationis*, quâ Virtus Heroica requirit, ut Heros circa tale objectum ita se gerat, ut recta ratio requirit, sicut in definitione moralis virtutis dicitur, *prout iudicio Viri prudentis definitur.* Debet igitur excessum, debet defectum vitare, & consequenter mediocritatem servare, *at modo heroico, modo supra communem hominis conditionem posito, quemadmodum decet virum eam vitam viventem Piccol. Phil. Mor. grad. 4. c. 6.* Unde licet iisdem, quibus communis, gradibus non definiatur; non tamen omnem simpliciter transcendit mediocritatum, sed eam saltim intra quam communis subsistit. *Wendel. loc. alleg.*

QVÆSTIO II.

An Virtus Heroica etiam Intellectualium Virtutum splendor sit?

Negat id *Piccolom. grad. 6. Phil. Mor. c. 4.* Viri, inquit, Sapientes, qui scientia & contemplatione refulserunt, non Heroes, sed divini potius dicti sunt. Sapientis enim nomen est altissimum (*dixit Plato*) & Soli DEo convenit. Nec dicuntur in aere habitare sapientes (ut de Heroum genere dixit Plato) neq; in Britannia insulis (ut retulit Plutarchus) sed dicuntur elevati supra cælum (ut in Phœdro idem Plato affirmat) Propterea minus rectè, ut censeo, etiam in contemplatione reperiri putarunt heroicam virtutem, & dixerunt sapientiam esse Heroicam contemplationem.

Verum hæ rationes tanti non sunt, ut ideo in illam sententiam eamus,

Nam etiam si virtus Heroica magis conspicua sit in Moralibus, quæ apud imperitum vulgus majorem admirationem movent, quam Intellectualis, eo quod illorum actus omnium oculos feriant, harum verò excellentia in mente tantum possessoris clareat: adhuc tamen intellectualium Virtutum eminentia Heroica Virtus dici potest. Probamus id 1. *ab oppositò*. Si nimia Virtutum intellectualium ruditas est feritas, utique earundem excellens notitia vocari poterit Heroica. Prius manifestum est. Homines enim rudes & indocti apud *Aristippum* conferuntur lapidibus *notante Laert, l. 2. c. 5.* *Plato* interrogatus, quid inter peritum & imperitum interesset? quantum inter medicum & ægrotum: *Aristoteles* idem quæsit, quantum inter virum & mortuum respondit, ut testatur *Stob. & Laert l. 5. c. 1.* Pariter *Stilpon Philosophus*, cum rogaretur, quid statuâ durius eslet? Homo doctrinæ expertus dixit. *Stob. serm 4. 2. à fine.* Per intellectuales virtutes similes evadimus Deo, quod est virtutis Heroicæ finis. Nulla sanè res divinior eruditione atq; sapientiâ est, in quâ vera vita posita, & cujus munere vivere ac superesse possumus, etiam cum jam diem obiimus. **QVÆSTIO III.**

An Heroum Filii sint noxæ?

Est fatale quasi bonorum virorum degeneres habere filios infortunium, quod felicitatem reliquam non leviter debilitat: unde etiam proverbium ortum, Heroum filii noxæ, *ἡρώων τέκνα πημάρτα*. Idem testatur *Plinius Paneg. c. 83.* *Multos ait, illustres foris claros domestica destruebat infamia.*

At enim, quamvis (quod negari à nemine facile potest) interdum à parentibus generosis viles & fatui procreari soleant liberi: id tamen naturæ generosæ, quæ tali, adscribendum haud est, cum aliæ plures hujus degenerationis suppeditari queant causæ; quæ *vid. ap. Wendelin. p. 154. Christ. Matth. qv. 2.* Inter quas ferè princeps est *neglecta orientis ætatis educatio*, quæ vitæ rectè traducendæ fundamentum, tantum in reliquis ætates, in totam vitam, in familias, civitates, terrarumq; orbem ipsum importat detrimenti, quantum non potest paucis explicari. *Vid. Arist. l. 8. Polit. c. 1.*

Quippe error in principio per exiguus, in fine maximus esse deprehenditur, eorundem docet lib. 1. de cæl. t. 33. Heroës autem negotiorum quasi mole oppressi, curis variis distracti liberorum educationem rarò inspiciunt, qui plerunq; alieno corruptissimarum nutricum lacte nutriuntur. Quibus accedunt blanditiæ parentum, nimia indulgentia & amor, quò occæcati, quidvis liberis concedunt, & vanas permittunt libertates atq; delicias quæ postea magnorum malorum causæ sunt. Promptissime enim liberi parentum acceptant mollitiem, à sole ac pulvere, quantum possunt, cavent sedulo, neq; animum ad laudabilia facinora applicare curant: *quo de Plut. πειρῆ*


παιδ. ἀζωγ. Arist. l. 7. Polit. c. 17. Quæz. de Civ. conf. disp. 5 p. 310

05 A 1528

ULB Halle

3


003 778 622



1517








83

Q. D. B. V.
Ex
ETHICIS,
DISPUTATIONEM PUBLICAM
De
Virtute Heroica,

In Electorali ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO
M. BALTHASARIS STOLBERGI,
Mittvveydensis
Placidæ Eruditorum Disquisitioni

U ssttit
AUGUSTUS AGUSTINUS MEVIUS,
Wittebergensis
Ad diem 20. Novemb. Horis antemerid.
In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typograph.

83

L. M. Balwin